

*CXLVII*, 19. 20. sicuti & *Rom. III*, 1. 2. Judæorum in eo prærogativa allegatur, quod ipsis concredita fuerunt eloquia DEi, quorum pars etiam Lex est. Interim, non sine omni Lege Gentes vixisse, Apostolus attestatur, eas, quæ legis sunt, naturâ fecisse, dicens. At quæstio jam est: Anne Gentes, ut natura faciunt, quæ Legis sunt, ita & ex sola natura, se ad eadem faciendam obligari, convicti sint; an vero Superiorem quendam agnoscant, qui ut Legislator ipsis ea faciendi moralem imponerit necessitatem? Prius affirmandum volunt, qui Atheismum non per se ac necessariò improbitatis causam esse dicunt: at Apostolus de posteriori nos certiores fecit. Dicit namque non solum, quod sibi ipsis lex sint, sed etiam, quod monstrent, opus legis scriptum in cordibus suis. Quis autem, quæso, inscripsit? Inscripta cordibus eorum dicitur hæc lex, in distinctione à lege Mosaica Judæis data, tabulis inscriptâ, cujus ad scriptionem procul dubio respectum Apostolus habet, non quod Judæi sine lege naturali vixerint, sed solum, ut Judæorum indicaretur prærogativa, ex traditâ Lege scriptâ illis competens, quod tantò fortius eosdem convinceret, criminisque & damnationis ageret reos, ceu patet ex integro Capite, præsertim *v. 17. sqv.* Ut igitur unus idemque Auctor est legis naturalis atque moralis, ita is ipse, qui Legem hancce moralem, populo Judaico peculiariter tradendam, tabulis lapideis olim inscripsit, *Exod. XXXI. 18. Deut. IX, 10.* inscripsit eandem etiam aliorum, imò verò omnium, hominum cordibus. Atque hac ex inscriptione Gentes obligationem Legi obediendi sibi incumbentem agnovere, nequitquam ignari, abs nemine alio, quam ipso Naturæ Auctore, cordibus eam suis inscribi potuisse. Non enim suspicor, quempiam fore, qui excipiat, Gentes ab ipsa Naturâ hanc sibi Legem præscriptam existimasse. Quid enim, quæso te, sic ex Natura tandem faciemus? An ea igitur substantia intelligens deq; actionibus naturæ rationali ac sociali convenientibus vel inconvenientibus judicans, erit? Hoc enim in Legislatore omnium confessione præsupponitur, ut ne quidem, in requisita Legisla-